



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 4. Exemptio Monasteriorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Actis subscribere. Januarius Mascula-
 nus unus ex Numidiæ Legatis non sua
 sed alterius manu, quia senectute debilis
 erat, subscripsit.

Sæculum VI.
 A. C. 525.

§. IV.

Exemptio Monasteriorum.

Altera die sexta Febr. 525. Episcopis in
 eodem loco congregatis Bonifacius
 dixit: *In Collatione besterna, quæ nos pe-
 ne usque ad Vesperum distinuit, omnia,
 quæ ad utilitatem communem Ecclesiarum
 spectant, ordinata fuisse puto. Hinc
 transeundum nobis est ad Causas privato-
 rum.* Gaudiosus Diaconus dixit: *Pe-
 trus Abbas cum aliquot Senioribus sui
 Monasterii ad fores stat, & petit audiri.*
 Bonifacius dixit: *ingrediantur.* Admis-
 si Libellum tradiderunt contra Libera-
 tum Primatem Byzacenum, atque ut eo-
 rum Causa clarius intelligeretur, jussit
 Bonifacius legi omnia Acta ad eam per-
 tinentia, quæ ex Tabulariis Ecclesiæ Car-
 thaginensis fuere exprompta. Res vero
 ea ita se habebat; Quidam Monachi ex
 diversis Africæ Regionibus imo & ultra-
 marinis convenerant, Monasterium in
 Provincia Byzacena fundaturi, illudque
 propinquorum suorum aliorumque pio-
 rum Fidelium auxilio ædificarunt. Mo-
 nasterium Ecclesiæ Carthaginensis imme-
 diate subjecerunt, & electo sibi ex gre-

p. 164r.

Sæculum VI. A. C. 525. mio suo Abbate quodam Subdiacono
 Provinciæ Byzacenæ, Ecclesiam suam a
 Reparato Episcopo Puppienensi (civitas
 hæc erat Provinciæ Proconsularis) dedi-
 cari curarunt. Sedes Carthaginensis
 durante persecutione Regis Trasamundi
 vacavit annis 27. Cum vero tam lon-
 go temporis spatio necessarium fuisset,
 ut Presbyteri ad Ministrandum in Mona-
 stero ordinarentur, adierunt Bonifacium
 Episcopum Gratianensem Byzacenæ Pri-
 matem, qui aliquot Monachos ordina-
 vit. Bonifacio fatis functo Liberatus,
 ipse in Primatu Successor, Monasterium
 sibi esse subiectum affirmabat, atque Pe-
 trum Abbatem ipsius Jurisdictionem a-
 gnoscere recusantem cum omnibus Mo-
 nachis excommunicavit. Fideles illius
 Provinciæ Mandato Episcopi obedientes
 fugiebant Monachos, & hospitio recipere
 volebant, etsi Monachi sua ex parte
 Hospitalitatis leges piissime observarent.
 Ecclesiam ingredi volentibus clausæ fo-
 res objiciebantur, aut jam ingressi exire
 jubebantur. Nemo excommunicatis sa-
 lutem dicere, aut ab ipsis accipere au-
 debat.

Ecclesia Carthaginensi Libertati re-
 stituta & Bonifacio Episcopo ordinato
 Petrus Abbas eidem Libellos supplices
 obtulit, quibus ejus Patrocinium expete-
 bat,

bat, atque justam Monasterii sui Exemptionem argumentis pariter & Exemplis probabat. Argumenta afferebat: illorum, qui Monasterium fundaverant conditionem; fuisse enim viros ex variis Provinciis collectos: etiamsi primus Abbas fuisset Subdiaconus & Provincia Byzacena, ipsum tamen non tanquam Subdiaconum, sed tanquam Monachum fuisse electum, nec ad ipsum Monasterii Dominium vel Proprietatem pertinuisse; denique tantum ideo Monachos petiisse, ut sibi Presbyteri a Primate Byzacenæ ordinarerentur, quia Sedes Carthagenensis vacabat. Ejusmodi Exemptionis Exempla adducebantur: Monasterium Precisinum, quod, licet in medio Diocesis Leptiminen-
 sis Provinciæ Byzacenæ situm esset, nihilominus Episcopo Vicatariensi, alterius ejusdem Provinciæ Civitatis suberat. Monasterium Baccense prope Ecclesiam Maximiani in Numidia Primate Byzacenæ subjiciebatur. Monachi Adrumetini præterito Civitatis Episcopo semper petierant, Presbyteros suos ultra mare ordinari.

Sæculum VI.
 A. C. 525.
 Exemptio
 Monasterio-
 rum.

Petrus Abbas, ut Causæ suæ Justitiam demonstraret, Acta sequentia producebat; *Sup. lib. XXIV. §.*
 Excerptum ex Sermone secundo S. Augustini de Vita Communi, ex quo dispicitur, Monasteria ab ipsius Discipulis fundata

Sup. lib. XXIV. §.
Serm. 356.

Sæculum VI. data (*) nec ad Fundatores, nec ad Ec-
A. C. 525. clesiam Hipponensem sed ad Communi-
 tatem pertinuisse. Item Privilegium an-
 no 517. cuidam Monasterio Virginum a
 Bonifacio Byzæenæ Primæte concessum,
 in quo postquam generatim dictum, Mo-
 nasteria utriusque Sexus secundum Pa-
 trum consuetudinem a Clericorum con-
 ditione exempta esse oportere, licentiam
 facit sibi ipsis deligendi Presbyterum, qui
 in earum Monasterio Myſteria celebret
 addito Mandato, ut ad Altare Primatis
 illius Provinciæ memoriam agat. Ulti-
 mum, quod refert, est tertii Concilii Are-
 latensis Decretum, quo Lis inter Episco-
 pum Theodorum & Faustum Abbatem
 Lerinensem dirimitur, sicut retulimus.
 Bonifacio Liberatus in hac Causa non sa-
 tisfecisse videtur; jamque anno superio-
 re in litteris Liberato significaverat, con-
 suetudines a multis Episcopis observatas
 a se mutari non posse, alias enim nihil
 amplius firmum in Disciplina Ecclesia-
 stica futurum. Acta ultima hujus Con-
 cilio Carthaginensis nobis non supersunt;
 aliunde autem certum, quod Sententiam
 Petro faventem pronunciaverit; & ge-
 neratim decreverit, Monasteriis liberta-
 tem, quam semper habuissent, intactam
 esse relinquendam.

to. 4. Conc.
p. 1023.

Sup. lib.
XXIX. §.
19. p. 1645.

n. 1649.

§. V.

(*) Hæc ad antiquitatem DD. Canonicorum
 Regularium demonstrandam facere videntur.